



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

3. De falsitate mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

dicens: Domine vt videam. Amatores verò mū-
 di lucem odiunt: & prædicationem qua illumi-
 nari possent, fugiunt. Qui malè agit, odit lucem.
 Ipsi ducem non quærunt. Seneca: Cæci ducem
 quærunt, & nos sine duce erramus. Errauerunt
 cæci in plateis. Amatores mundi tenebras dili-
 gunt: & ad tenebras infernales vadunt. Hoc est
 iudicium (id est, causa iudicij seu damnationis)
 quia lux venit in mundum, & dilexerunt homi-
 nes magis tenebras quàm lucem. Qui de mundo
 ad religionem ordinatam transit, de loco tene-
 brarum ad locum luminis transit vel vadit: vbi
 remota terrenitate per paupertatem spiritus, fu-
 gata nube peccatorum à vero sole, meditatione,
 lectione, oratione illuminatur. Ad illuminatio-
 nem etiam operantur actus luminosi, scilicet ex-
 empla virtutis, quæ in fratribus conspiciuntur:
 Luceat lux vestra coram hominibus: vt videant
 opera vestra bona.

*Tren. 3.**Ioan. 3.**Matt. 5.**De falsitate mundi.*

CAPVT III.

Circa falsitatem mundi notandum, quòd
 mundus est falsus & fallax: & non inueni-
 tur in eo veritas. In Psalm. Non est in ore eorum
 veritas. Non est veritas, & non est misericordia,
 & non est scientia Dei in terra. Non inuenitur in
 eo fides, nec vera amicitia. Virum fidelem quis
 inueniet? Sapiens. Id primum sentio: nisi in bonis
 amicitiam esse non posse. Quomodo amat alium
 qui non amat seipsum? In Psal. Qui diligit iniqui-
 tatem: odit animam suam. Qui sibi nequam; cui
 bonus

*Osea 4.**Pro. 20.**Eccl. 14.*

A 5

bonus

Hier. 9. bonus erit? Non amant amatores mundi, etiam propinquos suos: & si amant eos aliquando carnaliter, odiunt eos spiritualiter. Vnusquisque à proximo suo se custodiat; & in omni fratre suo non habeat fiduciam, quia omnis frater supplantans supplantabit, omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquetur. Nolite credere amico, & nolite confidere in duce. Ab ea quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui: quia filius contumeliam facit patri: & filia confurget aduersus matrem suam: nurus aduersus socrum suam, & inimici hominis domestici eius. Ephraim ad interfectionem deducet filios suos. Bernardus. Non parcunt suis, qui sibi non parcunt: perimentes pariter & pereuntes. Falsus & fallax est mundus: exterius aureus, interius luteus. Vnde dicitur hypocrita, Gaudium hypocritæ ad instar puncti. Secundum Hieronymum, hypocrita est, qui aliud est, & aliud simulat. Similis est mundus sterquilinio niue tecto: & sepulchris dealbatis putredine plenis: & tales sunt qui exterius apparent pulchriores, & interius sunt turpiores: igne infernali exusti & denigrati, igne scilicet luxuriæ & cupiditatis. Ad te Domine clamabo: quia ignis comedit speciosa deserti, mundi scilicet à Deo deserti. Cùm mundus sit immundus, amplectentes se amore inquinat. Augustinus. O munde immunde, quid strepis? quid auertere conaris? Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Fallax est mundus specie fallaciæ ignominiosissima. Quia proditor, eum cui arridet, decipit. Potius est eligenda
eius

eius ira, quàm arrisus. Melior est ira risu. Gregor. *Eccl. 7.*

Cùm omnis fortuna sit timenda, magis timenda prospera, quàm aduersa. Hæc enim sæuiedo erudit: illa blandiendo seducit. Mundus amantes se deuorat, iuxta illud Augustini: Amas seculum, absorbebit te. Amatores suos vorare nouit: non potare. Mundus enim quem osculatur, hostibus suis tradit. Ei congruit illud verbū Iudæ: Quem-

Matth. 26.

cunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Hoc dicit mundus dæmonibus. Mundus quem osculatur, occidit: sicut Ioab Amasan: Fallaces sunt amatores mundi: & fallacia bona quæ ab eis amantur: ipsi & fallunt & falluntur. Frequenter odiunt, quos amare se verbo ostendunt. Abscondunt odium labia mendacia. Illos autem quos in prosperitate diligunt; in aduersitate deserunt. Est

2. Reg. 20.

Pro. 10.

amicus secundum tempus, & non permanebit in tempore tribulationis. Ipsi parua occasione eorum inimici fiunt: quorum amici ante fuerunt. Est amicus, qui conuertitur ad inimicitias. Bona

Eccl. 6.

mundi fallacia sunt: ideo dicuntur mendacia. Vt quid diligitis vanitatem, & queritis mendacium?

Ibid.

Psal. 4.

Eccl. 34.

Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia. Posuimus mendacium spem nostram. Seneca. Tenuè est mendacium: perlucet, si diligenter inspexeris. Fallaces sunt diuitiæ: fallax mundi gratia, potentia & gloria. Diuitiæ fallaces sunt secundum illud. Sollicitudo seculi istius & fallacia

Isai. 28.

diuitiarum, suffocant verbum. Diuitiæ fallunt, quia promittunt copiam, & faciunt vel augent indigentiam. Habent enim defectus suos diuitiæ,

Matth. 13.

sicut

*Seneca in
epist. 120.
Eccl. 5.*

*In tract. de
conuersio-
ne ad cleri-
cos, cap. 22.
Epist. 19.
circa med.*

Eccl. 7.

*Epist. 27.
parum à
principio.
Pro. Slt.*

ficut amator earum : quos defectus secum afferunt, cum ad aliquem veniunt. Et ideo verbum sapientis verum est, quod pluribus indigent, qui plura possident. Auarus non implebitur pecunia, & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis. Non sunt simul, fames diuitiarum, & satietas. Amor verò diuitiarum est quædam fames earum: idè non est simul cum satietate, quam quasi fructum ex diuitiis amatores earum assequi se credunt. Bernardus. Non plus satiatur cor hominis auro, quàm corpus aura. Seneca. Altera cupiditatum ex fine alterius trahitur. Quod est propter defectum, quem bona alicui aduenientia habent secum. Diuitiæ eos qui eis innituntur, fallunt: quia eis fulcimentum non tribuunt. Qui confidit in diuitiis suis, corruet. Deliciæ temporales fallaces sunt. Habent enim amaritudinem annexam. Boetius. Dulcedo felicitatis humanæ multis amaritudinibus respersa est. Inueni amariorem morte mulierem. Hæc mulier est carnis voluptas. De amaritudine ista credendum est viris sanctis, qui habent palatum cordis benè dispositum: nõ peccatoribus, qui habent illud febre iniquitatis infectum. Amarior est voluptas carnis, quæ animam à Deo separat, morte temporali, quæ animam separat à corpore. Voluptas carnis est quasi mel quod lingitur in spinis. In Psal. Inimici eius terram lingent. Inimici Dei, sunt amici mundi. Sicut aquæ ad mare tendunt: sic deliciæ temporales ad amaritudinem æternam ducunt. Seneca. Voluptates non sunt fideles, non sunt solidæ: etiam si non nocent, fugiunt. Gratia mundi fallax est. Fal-
lax

lax gratia : & vana est pulchritudo. Multum falluntur, qui gratiam mundi quærunt. Primò, quia eis carissimè constat : cùm minus quàm nihil valeat. Tot expensæ fiunt pro mundi gratia, seu placencia habenda : quòd aliquando comitatus vel regna ad eas non sufficiunt. Pro ea fiunt preciosi ornatus vestium, lectorum, equorum, mēsarum : scilicet vasa aurea & argentea. Pro ea fiunt sumptuosa conuiuia : habentur multæ equitaturæ, magnæ familiæ. Gratia mundi minus quàm nihil valet : cùm magis expediat homini habere iram mundi quàm arrisum. Secundo falluntur qui Dei gratiã, quæ est res preciosissima, pro mundi gratia amittunt : quæ eis inutilis vel potius noxia est. In Psal. Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus spreuit eos. Si hominibus placerem, *Gal. 1.* Christi seruus non essem. Adulteri nescitis quia *Iacob. 4.* amicitia huius mundi inimica est Deo? Quicumq; ergo voluerit esse amicus huius sæculi ; inimicus Dei constituetur. Tertio falluntur, quia multotiens gratia huius mundi haberi ab eis creditur, & non habetur : imò rarò integrè habetur, si tamen aliquando : de Christo enim qui plenus gratia fuit, scriptum est, quod alij dicebant, quia bonus est, alij dicebant, non : sed seducit turbas. Quartò falluntur, quia licet gratia mundi aliquando, quantum ad plures habeatur : citò amittitur. vt in Christo, qui die qua venit Hierosolymam ad passionem, gratiam habuit : sed citò eam amittit. Bernardus. Ab eodem populo, in eodem loco, & ipso tempore, paucissimis diebus interpositis : primo cum tâto triumpho susceptus, postea crucifixus *Serm. 2. dominica in rami. pal. circa med. 4. Reg. 18.*

4. Reg. 18.

Sap. 6.

Ibid.

Phil. 3.

cifixus est. Mundi potentia fallax est: innitentes ei decipiens. Baculus arundineus est. Speras super baculo arundineo & confracto, Ægypto, super quem si incubuerit homo, comminutus ingreditur manum eius & perforabit eam. sic est Pharaon Rex Ægypti, omnibus qui confidunt in se. Potentia sæculi comparatur arundini in aquis crescenti: exterius nitide, interius vacue, fructum non habenti nisi lanuginem. Potentes sæculi in aquis deliciarum crescunt; quia ut frequenter delicatè nutriuntur, & viuunt, exterius nitent per vanam gloriam, interius vacui sunt, habentes seruitutem & impotentiam ignominiosam. Frequenter magis subiecti sunt vitiis, & minus possunt eis resistere: ut superbiæ, iræ, odio, gulæ. Fructum verò potentia suæ hunc habent: quòd magis onerati peccatis decedunt, & ad maiorem cruciatum vadunt. Potentes potenter tormenta patientur. Fortioribus fortior instat cruciatus. Gloria mundi fallax est, multum decipiens amatores suos. Primò, quia credunt gloriam: quæ verè ignominia est. Gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt. Vestimentum corporis quod ipsi credunt gloriosum, verè est ignominiosum: tanquam verecundiæ remedium, turpitudinis operimentum, pulchritudinis adiutorium, ab infimis creaturis ignominiosè mendicatum, & signum est culpæ, ut cauterium latronis. Bernard. Qui de veste gloriatur, similis est furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus est vsus vestium. Secundo, gloria mundi amatores suos decipit, quia ut frequenter cito in

igno-

ignominiam conuertitur. Seneca. Cito fit ignominia superbi gloria. Gloriam eorum in ignominiam commutabo. *Ose. 4.*

Tertiò, quia valdè carè eam emunt: cùm nihil valeat. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est. Si multi tantum expenderent pro æterna gloria, quantũ ipsi expèdunt pro vana: vix essent qui eam non haberent. Quartò, quia multũ est eis noxia, opera eorũ inutilia reddendo, gloria eterna priuado, & pœnæ æternæ eos obligando. Dicitur de eis qui quærunt mundi gloriã. Receperunt mercedè suam. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. *Ioan. 8.*
Math. 6.
Apocal. 15.

De bonorum temporalium modicitate.

CAPVT IIII.

Circa modicitatè bonorum temporalium notandũ, quòd bona temporalia modica sunt respectu Dei, & respectu animæ, & respectu cœli.

Respectu Dei sunt quasi gutta roris. Tanquam momētum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani: imò nihil sunt respectu Dei. Vsq; modo non petistis quicquam. Nihil petit, qui temporale petit. Aspexi terram, & ecce vacua erat. *Sap. 11.*
Hier. 4.

Respectu animæ modica sunt: quia eam replere nō possunt. Cũ enim anima capax sit Dei, minuto eo nō potest impleri. Modica etiã sunt respectu cœli: sicut centrũ respectu circũferentię. Latitudo est circũferentię, nō centri. Sen. Punctũ est id in quo nauigatis, bellatis, regnatis. Idẽ. Ab vltimis littoribus Hisp. vsq; ad Indos paucissimorũ dierũ spacium